

Laócoon ardens summa decurrit ab arce
 et procul 'o miseri, quae tanta insania cives?
 creditis auctos hostis aut ulla putatis
 dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
 aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi, 45
 aut haec in nostros fabricata est machina muros
 inspectura domos venturaque desuper urbi
 aut aliquis latet. error equo, ne credite, Teucri.
 quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.'
 sic fatus validis ingentem viribus hastam 50
 in latus inque feri curvam compagibus alvom
 contorsit. stetit illa tremens, uteroque recusso
 insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
 et si fata deum, si mens non laeva fuisset,
 impulerat ferro Argolicas foedare latebras, 55
 Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.

Ecce manus iuvenem interea post terga revinctum
 pastores magno ad regem clamore trahebant
 Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
 hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis, 60
 obtulerat, fidens animi atque in utrumque paratus,
 seu versare dolos seu certae occumbere morti.
 undique visendi studio Troiana iuventus
 circumfusa ruit, certantque inludere capto.
 accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno 65
 disce omnis.

namque ut conspectu in medio turbatus inermis
 constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
 'heu quae nunc tellus' inquit, 'quae me aequora
 possunt
 accipere aut quid iam misero mihi denique restat, 70
 cui neque apud Danaos usquam locus et super ipsi
 Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt'.
 quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
 impetus. hortamur fari, quo sanguine cretus
 quidve ferat, memoret quae sit fiducia capto. 75
 [ille haec deposita tandem formidine fatur:]